





MONVMENTA POETICA  
ANIMALIBVS BRVTIS STATVTA

---

*ORATIONI*  
*VALEDICTORIAE ADOLESCENTIS*  
SCHOLAM CVM ACADEMIA

PERMV TATVRI  
PRAEMISSA  
AD QVAM  
BENEVOLE AVSCVL TANDAM  
HVMANITER INVITAT  
M. IO. GOTTL. BIDERMANN. R.

---

*FREIBERGAE,*  
Litteris SAM. FRIDER. BARTHELII.

CXVIII.

**E**a pœtices dignitas est et commendatio, ut nullum hæc ars oforem habere, nisi ignorantem, iure censeatur. Neque graui sine causa maiores lege sanxerunt, ut in scholis bene constitutis carmina pœtarum diligenter praelegantur, et accurate explentur. Illa enim purioris sili succum et sanguinem complectuntur, elegantissimas dicendi Veneres exhibent, et masculae eloquentiae robur confirmant. Quis, quaeso, non admiratur in pœtici verborum splendorem et sententiarum grauitatem? quis non capitur argumentorum sublimitate et rerum maiestate? et quis leporibus, salibus, iocis et facetiis non delectatur, quibus pœtas sermones et ingenii sui ferula veluti condire videmus? Inprimis fax ea oculos praestringit, quam poetae nobis praefereunt ad intelligentiam omnis antiquitatis. Paucis multa DIONYSIUS Halic. comp'editur, ubi, *poest*, inquit, a) *flos est ingenii humani atque omnis amoenitatis, quo pulchrum, exornatum, iucundumque fit, quicquid doctrinae grauitas simplex habet, et disciplinae severitas acerbis, imo fons est omnis elegantiae priscae atque eruditionis.* Vti vero, HORATIO iudice, b) ille demum

*omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci:*

ita hæc duo momenta carminibus praecipue singularem comparant dignitatem, eaque veluti neruis firmant; quod idem vates suo suffragio comprobat, canens: c)

*aut prodesse volunt, aut delectare poetae.*

De fructu igitur atque usu vario ac insigni huius artis nemo fere dubitabit. Eandem autem simul mentem iucundissima voluptate adficere, experientia testatum facit. Habet enim hoc numerus et harmonia, ut animum rapiat, capiat, et vi quadam occulta nos ad se trahat. Vnde parum aberat, quin Plato ipsam mentem hominis per harmoniam explicaret. Et hanc in sententiam carmina poetarum stupenda effecisse miracula, legimus, sylvas attrahendo, saxa locis mouendo, et ipsas urbes exstruendo. Imo hæc ipsa iucunditas eo latius patet, quo plura sunt argumenta, in quibus ingenium poetae vires suas periclitari potest. *Videmus enim*, CICERO ait, d) *nihil propemodum seu supra lunae ortum et aeternum, seu infra et fluxum caducumque sit, quod non adstricto dicendi genere poetae comprehendant.* Ad quae verba vir cl. Lud. Ant. MVRATORIVS procul dubio digitum intendisse videtur, e) hoc pulchrum et iucundum in carminibus habent

a) de comp. verb. XXVII.

c) ibid. v. 333.

fetta poesia L. I. c. 5. et L. III. cap. ult.

b) Art. poet. 343.

d) de Orat. L. I. C. 16.

e) della per-

habendum esse, censens, si vel vera vel verosimilia ita adornentur, ut noua atque admiranda adpareant, et, si poetae rebus obuiis aptos colores, nouas figuras, graue pondus, mirificum splendorem et vitam praestant, ut carmen numeris concinnis ac florido dicendi genere non minus utilitatis praestet, quam delectationis.

Vtrum inter haec oblectamenta artis poeticae monumenta animabilibus brutis statuta referri debeant, illi videbunt, qui de ingenio poetico recte iudicare possunt. Et quia non memini, ea usquam collecta proflare, operae pretium me facturum existimaui, si per fasciculos ea, quae ad me peruenerunt, cum amatoribus studii poetici communicarem.

Ne quis vero existimet, huius generis epicedia summorum poetarum pe sonis indigna esse, initium iam ab iis faciamus, qui carminibus suis ad posteritatem transmissis nominis immortalitatem adepti, exemplo iis omnibus esse debent, qui his litterarum studiis pascuntur. Primo igitur loco in medium prodeat VIRGILIUS, cuius carmen prolixum in CVLICEM profert, in quo illius bestiolae fata mirabili ingenii ubertate persequitur, ad mortui vero tumulum omnis generis flores et fructus conuocat, et extremum illi honorem his verbis praeflat:

*His tumulus super inferitur. Tum fronte locatur  
Elogium, tacita quod firmat littera voce:  
Parue culex, pecudum custos, tibi tale merenti  
Euneris officium vitae pro funere reddo.*

Et quem fugit ingeniosum epitaphium, quod PSITTAGO fecit OVIDIUS? cujus exsequias uniuerso voluerum concilio indicit, ejusque laudes diffuso carmine ornat, cuius hoc est initium: f)

*Psittacus, cois imitatrix ales ab Indis  
Occidit. Exsequias ite frequenter, aues!  
Ite, pie volucres, et plangite pectora pennis,  
Et rigido teneras ungue notate genas!  
Horrida prae moestis lanietur pluma capillis:  
Pro longa resonent carmina vestra tuba:*

finis autem hisce constat verbis: g)

*Ossa regit tumulus, tumulus pro corpore paruus,  
Quo lapis exiguus par sibi carmen habet.*

*Colligor*

f) Amor. II. El. VI. I. sqq.

g) v. 60. sqq.

Colligor ex ipso dominae placuisse sepulcro:

Ora fuere mihi plus aue docta loqui.

Succedit CATVLLVS, qui cum viuidi ingenii amoenitate tersam et limp-  
dam Latinitatem suis in carminibus felicissime copulauit, et Lesbiae suae  
mortuum PASSEREM his phaleucis cohonestauit: h)

*Lugete ô Veneres Cupidinesque, et quantum est hominum venustiorum!  
Passer mortuus est meae puellae, passer, deliciae meae puellae,*

*Quem plus illa oculis suis amabat. Nam mellitus erat, suamque norat  
Ipsam tam bene, quam puella matrem. Nec sese à gremio illius mouebat,  
Sed circumstiliens modo huc modo illuc, Ad solam dominam usque pipilabat,*

*Qui nunc it per iter tenebricosum Illuc, unde negant redire quenuquam.*

*At vobis male sit, malae tenebrae Orci, quae omnia bella deuoratis,*

*Quod bellum mihi passerem abstulistis. O factum male! et ô miselle passer!  
Tua nunc operâ meae puellae Flendo turgiduli rubent ocelli.*

Pari consilio LOTICHIVS in funere DELPHINI Numina marina  
cum Nymphis ad supremum honorem illi praestandum his inuitat: i)

*Di maris, et virides quae sunt penes aequora Nymphae!*

*Ad bibulum madidis littus adeste genis.*

*Ille decus pelagi vestro sub numine Delphin*

*Caeruleas subita morte reliquit aquas:*

et, caussis luctus copiose expositis, hoc addito epitaphio claudit:

*In gremio, Delphin, recuba telluris amatae*

*Molliter, et cineres saepe reuise tuos.*

*Saepe dabunt gemitus volucres ad busta marinae,*

*Et tibi ferta Thetis Nereidesque ferent.*

Haec veterum poetarum vestigia recentiores haud inuita Minerua prefferunt,  
quod nonnullis exemplis testatum faciemus. Pro ea enim ingenii felicitate,  
qua valebat Fr. TAVBMANNVS, publicus poetices doctor, CANICVLAM  
suam, quae Leunculi nomen habebat, hoc epicedio ornauit: k)

*Hac ego fatali pro jure Leunculus, illud*

*Delicium domini, sum tumultus humo.*

*Caudula crispa mihi, cita cruscula, vellera lacti*

*Aemula, colla meris luxuriosa jubeis,*

Pone

h) num. III.

Epigr. L. IV. p. 497.

i) L. II. El. VII. i. sqq.

k) Meliodæf.

Pone nates cinni tubercula bina pilosi,  
 (Iurares, caligas ista fuisse meas.)  
 Cetera paene glaber, leuissomnis, et utilis aedi  
 Noctis ad excubias rem specularar heri.  
 Lysimachi catulus, Melitaeaque cura Sabini  
 Prae me, prae genio nomina vana meo.  
 Quisquis es, excelsas ne scande, catelle, fenestras:  
 Hinc venit exitii tanta ruina mei.

Seb ARTOMEDES autem, Francus, poeta lauro coronatus, FRINGILLAM, cui suus dominus nimio vini usu mortem accelerauerat, his verbis fingit morientem: l)

Hec! quantum dedit ista mihi petulantia damni!  
 Quam requies mihi nulla fuit! Respicite tandem  
 O homines stolidi, et tandem respicite agrestes,  
 In me oculos fatumque meum conuertite. Vixi  
 Qua licuit, sine labe, sed incoluisse tabernam  
 Obsuit: hanc colui captiua, inuita, coacta,  
 Vendita, serua, mali scelere aucupis: ille misellam  
 Perdidit, indignus vita, laqueo et cruce dignus.  
 Ergo insons perii; quid si scelus ausa fuisset?  
 Iamque mihi quod rebus erat solamen in arctis,  
 Carminis arguti rapuit decus Atropos atrox,  
 Nostraque ad aeternam damnauit lumina noctem,  
 Atque omnem vitae atque omnem spem lucis ademit.

Inter poetas nostri aeni Batauos Ianus DE BISSCHOP carminum elegantia singularem famam sibi comparauit, quorum ex numero unicum illud Epigramma testimonii loco allegamus, quo muscam melle exstinctam decantant: m)

Parua et praua tegor molli urna melle vorago:  
 Fusca suo tumulo musca sepulta iacet.

Neque illi epitaphio sui lepores defunt, quo PVLICEM Lolioita Petr. Iust. SAVTELIVS cohonestauit: n)

Hic situs est pulex, reptantis gloria turbae,  
 Pulice qui fuerat pumilione satus.

Hunc

l) in Poematt. p. 151.

m) in Choro Musar. Lugd. Bat. 1700. p. 107.

n) in Lusibus poetic. Herbipol. 1726. p. 149.

Hunc neque marmoreo surrecta cacumine moles  
 Asper nec multo lemmate cippus habet.  
 Sed quamvis iaceat tenui sepelibilis urna,  
 Non ideo, vel te iudice, vilis erit.  
 Si spectes, quam molis egens, quam mentis abundans,  
 Et quo pertulerit funera dura modo.  
 Nam neque vel gemitu queruli vel voce susurri  
 In longas voluit ducere fata moras,  
 Ille sed immotis vultuque animoque cruentum  
 Sustinuit duro vulnus ab hoste pati.  
 I nunc, et magni fatum mirare Catonis,  
 Dum pulex confors nominis hujus eat.  
 Clarus uterque fuit moriens; nam pectore forti  
 Intulit ille sibi vulnus, at iste tulit.  
 Lector abi, cursusque tuos iam persee, postquam  
 Legeris inscriptas, quas gerit urna, notas,  
 Et dic, quum cinerem praetergrediere sepulchrum,  
 Sculptilis exiguo quem tegit orbe lapis:  
 Fortunate lapis, gemma pretiosior omni!  
 Tu mihi tu posthac iure lapillus eris.

Atque, ut variatio delectet, Poetae cuiusdam Francogallici triplex epicedium  
 subiungamus, quod mortuae SIMIAE Comitis de Clermont factum est, quae  
 Grand Macaty cognominabatur. Primum his verbis legitur conce-  
 ptum: o)

Macaty, ce pauvre animal, Victime du ciseau fatal,  
 Est mort à la fleur de son âge,  
 Macaty, qui si follement Avoit fait ie ne scai comment,  
 Vn grand Prince à son badinage: Macatyn<sup>e</sup> est plus. Quel dommage!

Secundum ipsam Simiam loquentem inducit, his numeris adstrictum:

J ai vecû: ma course est finie.  
 Mais, tombant sous ces coups, je triomphe du sort,  
 Et me console de ma mort  
 Par l'honneur dont elle est suivie.

o) Bibliotheqve Françoise. Tom. II. p. 239.



Ce nouveau monument, qui s'élève à vos yeux,  
Par le soin de Louis consacre ma mémoire.  
Les plus fameux Heros, que célèbre l'histoire,  
Trouveroient mon sort digne d'eux.

Tertium denique huius est tenoris:

Singe sans fourbe et malice,  
Singe de Cour sans artifice,  
D'un Prince, que j'aimois favori sans hauteur,  
Son domestique sans bassesse,  
Et son complaisant sans fadeur,  
Je suis par mes talens mériter sa tendresse.  
Homme, de qui le lot fut, dit-on, la raison,  
Souffre, que ie te parle en maître:  
Mon portrait, utile leçon,  
T'apprend ce, que tu devois être.

Et quidem, ut facietiae facietis adderentur, litterae publicae proceribus  
aulae exhibebantur, quibus ad exsequias mortuae Simiae faciendas inuita-  
bantur, his verbis inscriptae: Lettre circulaire à tous les Seigneurs de la  
Cour, pour leur donner avis de la mort du GRAND MACATY, Singe de  
S. A. S. Mgr. le Comte de Clermont, et pour les inviter à sa pompe funebre.

De par Dragon, p) fidele ami, et compere de Macaty,  
A la respectable leunesse,

Qui brille dans ce beau séjour, et d'un auguste Roi compose ici la cour,  
Salut! mais salut de tristesse.

Comme tout finit ici bas;

Qu'il est un moment fixe, où tout ce, qui respire,  
Doit grossir de Pluton le sombre et vaste empire,  
Quadrupedes, Humains, Bergers et Potentats:

Qu'à ce fatal arrêt toute espece asservie

Subit la même loi du sort,

Et qu'en tout ce, qui naît, le germe de la vie  
Devient un principe de mort.

Macaty, né sujet à cette loi severe  
Vient de payer le tribut necessaire,

Macaty, Singe en son vivant,  
Mais Singe d'illustre memoire,

Singe,

---

p) hoc nomine alius Simius utebatur, a mortuo heres institutus,

*Singe, dont à jamais doit vivre ici la gloire,  
 Singe courtois, Singe amusant,  
 Delice d'une Cour fleurie,  
 Singe, fleur de la Singerie,  
 Singe subtil, Singe badin,  
 Faute de dents, Singe benin,  
 Singe enfin, qui de son espece  
 Avoit, sans les défauts, toute la gentillesse,  
 Ce même Macaty n'est plus, etc.*

Quae quum Ephemeridum litterariorum scriptor recenset, quid sibi de huiusmodi ingenii fetibus videatur, suam sententiam addit, quam hoc loco repetere, non erit alienum: q) *Les bagatelles ingenieuses ont leur prix. L'épître sur la mort du Singe du Comte de Clermont a amusé ce, qu'il y a de plus illustre à la Cour, et le succès, qu'elle y a eu, montre au moins, que le Roi et tous les jeunes Seigneurs prennent insensiblement du goût pour les exercices de l'esprit.*

Sed hoc loco abrampendum est filum, atque ex diuerticulo in viam redeundum, quae ad institutum ducit, cuius causa haec scriptio est suscepta. In eo nimirum est iuuenis nobilitate generis et ingenii laude florentissimus

IO. LVD. MÜNDLERVS,

*Dresd.*

ut scholam cum academia commutet, et animum sublimioribus scientiis exornet, quae viam ad futuram felicitatem sibi sternant. Quod antequam faciat, specimen diligentiae publico in confesso edere, decrevit, Gallico sermone de scholis Saxoniae, quae singularibus monetis cusis ornatae fuerunt, verba facturus, et vario carminum genere suam tam erga Deum quam fautores, magistros, atque amicos pietatem testificaturus. Quo facto, et suo et commilitonum nomine hunc discessum suo conterraneo atque amico gratulabitur

*Io. Iul. Koehler,*

*Dresd.*

Oda Sapphica, stilo Germanico concepta, imaginem veri amici graphice delineaturus, et abeuntem piis votis ac precibus religiosis prosequaturus.

Vos, PATRONI et FAVTORES, ut hoc institutum benevolentia Vestra adiuuetis, et cras hora IX. antem erid. ad auscultandum in auditorio nostro conveniatis, oro, rogo, contendo atque obtestor.

P. P. Freib. d. XVI. Sept. MDCCLXV.

Yb 627

ULB Halle

001 508 164

3



(811148)

TA → OL







MONVMENTA POETICA  
ANIMALIBVS BRVTIS STATVTA

*ORATIONI*  
*VALEDICTORIAE ADOLESCENTIS*  
SCHOLAM CVM ACADEMIA

PERMV TATVRI  
PRAEMISSA

AD QVAM

BENEVOLE AVSCVL TANDAM

HVMANITER INVITAT

M. IO. GOTTL. BIDERMANN, R.

*FREIBERGAE,*

Litteris SAM. FRIDER. BARTHELII.

CXVIII.